



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ignatii Loiolae Vita

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

De inanis gloriae vitio superato. Cap. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11486

adeò periculosum & grauem, vt sauiente atrociter febrì proximè ad mortem accesserit; quo tēpore & oppidi magistratus periculo viri permoti, publicè diuersorium illi curarunt necessariis rebus instructum: & prater aliam amicorū turbam, honestæ matronæ, quæ vitandæ pestilentia causa Barcinone sese eò receperant, certatim ægrotanti assidère, & nocturnas agere excubias, perinde quasi in vnus vita salus omnium verteretur. Atque his populi officiis, ac pia sedulitate bonorum, ereptus è præsentì vitæ discrimine, in id ipsum iterum ac tertio recidit ob eam causam, quòd nondum planè confirmatis viribus (blandimenta videlicet carnis & veteris hominis malitiã veritus) præpropere festinatione ad pristinas occupationes corporis animique redierat: quarum pondere oppressus, denique didicit ipse, aliisque deinde præcipere solitus est, imbecilla valetudine minuendos labores, curandumque tali tempore, vt quantum de consuetis exercitationibus infirmitas demat, tantum ad Dei gloriam & proximorum ædificationem æquitas animi & exemplum Christianæ fortitudinis addat. Vetabat idem etiam corpus debito somno ciboque fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, vt moderata sobrietate vegetatur animus, sic immoderata vigilia vel inedia vires adeò frangi ac debilitari, vt mens earum ministerio destituta, vix munere suo fungi, aut ad contemplationem rerum diuinarum possit exfurgere. Vexatus igitur, vt dicebamus, diuturna & periculosa ægrotatione, demum ita conualuit, vt ex reliquis morbi dolore stomachi molestissimo subinde cruciaretur: quapropter calceos induere, & panni crassioris tunica cinerea, & capitis tegumento contra sæuitiam hyemis munire sese priorum hominum benignitate præcibusque coactus est.

DE INANIS GLORIÆ VI-
TIO SUPERATO.

CAPVT X.

ACESSIT ad illa corporis ægrotantis incommoda, grauis etiam animi cruciatus, ab importuna quadam inanis gloriæ tentatione profectus. Dum enim ingrauescente morbo conscientiam suam diligentius excutit, seque ad extremum comparat mortis agonem, subiit illi repente, se iustum esse, neque villo pacto sibi de sempiterna beatitudine dubitandum. Cui suasioni dum resistere vi summa conatur, intelligens vt quisque sibi

B §

maximè

maximè placet, ita Deo maximè displicere; diuturnum & anceps intra sese certamen tanta tentatione metuque sustinuit, ut miris modis quotidie torqueretur, majoremque ex offensionis diuine formidine, quam ex ipsa grassantis morbi vehementia, metumque sollicitudinem caperet. Versabat videlicet in omnes partes hominis animum dæmon callidus, Christi permissu; & quem desperationis jaculis paulo antè superare nequieverat, eundem rursus nimie confidentiæ ac vanitatis elatione supplantare & evertere nitebatur. Sed contra eiusmodi cogitationes Ignatius, & in ipso (ut diximus) morbo, & recuperata postmodum valetudine, cum diutius dimicaret; partim agendis identidem Domino gratis, partim naturæ humanæ fragilitatem apud se reputando; denique diuino præsidio detestabile hoc ingrati animi vitium ita debellauit, euulsitque radicitus, ut postea, quotiescunque salus animarum aut Dei gloria postularer, sua non minus bona quam mala, sine vlla prorsus cenodoxiæ titillatione, palam & ingenue expromeret.

DE PROFECTIONE HIERO.
SOLYMITANA.

CAPVT XI.



I NTER hæc anni ferè spatio exacto, partim spiritualium rerum scientia instructus, partim etiam arte quadam & consuetudine regendarum animarum imbutus, cum nihil vulgare aut exiguum agitaret animo, sed egregia quædam & ardua in Dei gloriam ab ipso conuersionis initio concepisset; Hierosolymam, quod iamdudum habebat in votis, petere omnino constituit, non tam ut Christi Domini sacratissima incunabula cerneret, (tamen si id ipsum vehementer optabat) quam ut in conuertendis ad Euangelii lucem infidelibus, qui ea tenent loca, vel operæ pretium faceret; vel certè martyrii palmam, cuius avidissimus erat, acquireret. Sed hoc suum de prædicando Euangelio consilium, vitandæ scilicet humanæ laudis causæ, nemini prorsus aperiebat: peregrinationis verò propositum, cum necessariò amicis patefecisset, multi primùm id ei multis rationibus dissuadere, obtestari etiam & orare ne populum, ab se nuper è somno vitiorum excitatum ad studia virtutis pietatisque, repente desereret, neu se ipse, affecta præsertim

valesu-